



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

92. An testis ratione falsi testimonij non teneatur aliqua[n]do ad restitutionem. Et an, qui falsum testimonium dixit ex ignorantia, vel inaduertentia non damnabili, vel ex obliuione saltem non ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76413](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76413)

nem, si non retractauerit. Et hæc omnia pro praxi erunt multum adnotanda.

RESOL. XCII.

An testis ratione falsi testimonij non teneatur aliquando ad restitutionem?

Et an qui falsum testimonium dixit ex ignorantia, vel in aduerentia non damnabili, vel ex obliuione saltem non mortifera, ratione cuius contingit aliquem damnari, teneatur ad restitutionem? Ex p. 3. tr. 5. & Milc. 1. Ref. 106. alias 105.

§. 1. **R**espondeo affirmatiuè, & idèd si reus iam erat per alios testes conuictus, & tunc testimonium accedens nihil efficit, eo quòd pœna propter illud non est addita, nec iudex firmior redditus est ad eam irrogandam, non tenetur ad restitutionem, quia etsi iniuriam ei facias; non tamen es causa efficax damni, quòd ex prioribus testimoniis iam censetur illatum. Et ita docet Pitigianus in *pract. crim. canon. de testib. capit. 6. fol. 193.* & alij. Vnde ego in facti contingentia multoties ex hac doctrina liberaui penitentes ab onere restitutionis, quòd aduerfantur Confessarij.

2. Nota etiam cum Pitigiano *ubi supra*, Caietano 2. 2. *quest. 70. art. 4.* Petro à Nauarra *lib. 2. cap. 2. nu. 253.* & alijs, quòd qui falsum testimonium dixit ex ignorantia, vel in aduerentia non damnabili, vel ex obliuione saltem non mortifera, ratione cuius contingit aliquem damnari, non tenetur ad restitutionem, quia neque ratione rei acceptæ (cùm nihil inde habeat) neque ratione iniustitiæ, & damnificationis, non enim peccauit, saltem mortaliter, vt suppono, & probabiliter docet Lessius *lib. 2. c. 7. dub. 6.* cum alijs, non teneri ad restitutionem ex damno illato, qui non peccauit mortiferè. Ergo, &c.

RESOL. XCIII.

An testis falsus teneatur reuocare dictum suum, ratione cuius mors, aut mutilatio alicui est inferenda; quamuis ipse similis pœna periculum timeret; imò, licet ex reuocatione maius malum illi immineret?

Et quid, quando testis falsus dubitat, an talis reuocatio sit profutura, necne?

Et an, qui falsum testimonium dixit ex ignorantia, vel in aduerentia non damnabili, vel ex obliuione saltem non mortifera, ratione cuius contingit aliquem damnari, teneatur ad restitutionem?

Et quid facere debeat, certior factus de ignorantia? Ex p. 4. tract. 4. & Milc. Ref. 99.

§. 1. **S**cribo hæc cum animi dolore: nam olim interrogatus fui de hoc casu à quodam teste falso, qui ex importunitate, & minis Regij fisci, tandem falsam depositionem fecerat in re magni momenti: & tunc respondi, quòd qui falsum testimonium dicit, ratione cuius mors, vel mutilatio est inferenda, tenetur sua dicta retractare, si id profuturum putet, quamuis ipsi similis pœnæ periculum timeret: nam vnusquisque tenetur resarcire damnum, quòd alteri iniuste intulit, etiam cum pari damno suo: nam in pari damno melior est conditio innocentis. Ita Lessius *lib. 2. cap. 30. dub. 7. nu. 53.* & communiter Doctores. Imò attendant falsi testes & timeant) hanc sententiam Vvltherus Strovelsdorff in *D. Thom. de iust. & iur. quest. 70. art. 4. concl. 3.* docet esse veram, licet testi ex reuocatione maius damnum immineret, neque obstat quòd dubiter an

reuocatio sit profutura, quia quilibet quòd suum est experiri, & tentare debet. Ita ille. Sed Petrus Nauarra *de restit. lib. 2. cap. 3. num. 251.* putat, quòd si retractatio nihil est profutura, testis falsus non tenetur illam facere, sed restitutionem damnorum; item si ex loco tuto potest sententiam reuocare, ita vt proficit, similiter non tenetur prodere se coram iudice.

2. An verò qui falsum testimonium dixit ex ignorantia, vel in aduerentia non damnabili, vel ex obliuione saltem non mortifera, ratione cuius contingit aliquem damnari, teneatur ad restitutionem? Respondeo negatiuè cum Lessio & Nauarra *ubi supra*, cui ego addo Becanum in 2. 2. *D. Thom. de iust. & iur. quest. 70. de testib. quest. 5. concl. 2.* quia neque ratione rei acceptæ, cùm nihil inde habeat, neque ratione iniustitiæ damnificationis, quia non peccauit mortaliter, vt suppono; ergo, &c. Sed hanc sententiam Vvltherus Strovelsdorff *loc. cit.* veram esse putat quoyque sic deponens in eodem statu permenet, sed certior factus de ignorantia, vel similibus tenetur reuocare, & restaurare damnum etiam cum periculo mortis, si necessitas urgeat. Sic ille, quo in sensu intelligit Lessium, & alios, sed hæc opinio est nimis stricta.

RESOL. XCIV.

An testis teneatur denunciare, quando scit nullum alium scire illud delictum, etiam interrogatus sub præcepto & iuramento? Ex p. 3. tr. 5. & Milc. 1. Ref. 101. alias 100.

§. 1. **R**espondent affirmatiuè Sotus *de iust. lib. 5. q. 7. art. 1.* & Panormitanus, quem citat, & sequitur Azorius *part. 1. lib. 23. cap. 27. dub. 2.* & nouissimè mordicus docet hanc sententiam Sancius in *selectis disp. 43. n. 39.* qui citat Turrianum, Valentiam, & alios. Sed negatiuam sententiam ex schola Diui Thomæ docet Ioannes de la Cruz in *directorio conscientia, part. 1. pr. 8. art. 4. dubio 13. in principio*, vbi sic asserit. Si accusator habet solum vnum testem, iste dum sibi non constat de alio teste, tenetur sub peccato mortali dicere se nihil scire. Ita ille, qui citat Ledesmam

Bañez, & Orellanam.

3. Tertia opinio, quam tenet Lessius *lib. 2. cap. 30. dub. 6. num. 49.* Villalobos in *summa tom. 2. tract. 17. difficultate 1. num. 11.* Pitigianus in *tract. crim. cap. 5. fol. 166.* asserit, posse testem in tali casu testari, si velit, sed non teneri.

4. Sed ego puto probabilem esse opinionem negatiuam (licet affirmatiua sit probabilior) Ioannes de la Cruz, & aliorum. Nam cùm testis sciat neminem alium illud delictum à reo perpetratum scire, eius testificatio nihil proficiet, nisi ad vexandum reum, quia ex sola ipsius depositione minime condemnari potest. Ergo, &c. Igitur absque causa infamat tunc testis delinquentem, cùm sciat ipse probandum non esse delictum, & idèd Octavianus Spatarius in *praxi de modo corrigendi Regulares. tract. 7. c. 8. n. 7.* sic asserit. Ex quo patet, quòd non tenetur quis testificari, si sciat nullum alium esse testem, contestem, vel aliud æquiualens indicium, sive procedatur ex munere, siue ad instantiam partis. Et ego aliquando interrogatus sub præcepto, & iuramento super delicto, quòd sciebam nullum alium nosse, nisi denuntiantem, nunquam testificari volui, etsi de visu, & certa scientia potuissem, quòd tuta conscientia fecisse reputaui, & reputo. Ita Spatarius. Notentur hæc, quia practicaabilia erunt.

RESOL.